

Wilfried Stroh (Valahfridus):

*De fabellis puerilibus Latinis*

Schola habita Varsaviae d. 23 m. Mai A.D. MMXIII  
ad inaugurandum Conuentum

*De pueritia fabulosa nostra*<sup>1</sup>

Quis primus fabellas pueris puellisque scripserit, si quaeritis, sodales: Homerus fuit.

Herodoti Vita Homeri 24-25: *Chius iubet Homerum educare liberos suos, quod ille fecit. Scripsit autem et Cercopas et Batrachomyomachiam [...] et alios tales lusus.*

Romanis autem pueris Liuius Andronicus grammaticus fecit Saturnio uersu *Odusiam* suam. Postea legendi accessisse uidentur Aesopi apologi:

Quintiliani inst. 1,9,1-2 [de dicendi primordiis]: *igitur Aesopi fabellas, quae fabulis nutricularum proxime succedunt, narrare [sc. pueri] sermone puro [...] condiscant.*

Atque Aesopus saepe a pueris Latine legebatur et medio aeuo et recenti aetate, donec fabulae Fontanii (i.e. La Fontaine) e parte successerunt.

*Batrachomyomachiam* illam renascentium litterarum aetate uiri docti arripuerunt, cum diu uix quisquam dubitaret quin Homeri esset. Ea ante Iliadem et Odysseam Grace edita et saepe in Latinum translata est a uiris nobilissimis, ut Laurentio Valla et Ioanne Reuchlin. Melanchthon autem, qui etiam commentarium scripsit, eam ut iuuentuti utilissimam commendauit.

Melanchthon, CR XI 118: *Is (Homerus) pueris bellum ranarum et murium scripsit, ut simul teneros animos lepidissima fabula delectaret, simul doceret, quantum praestaret dissimulare quam ulcisci iniuriam [...].*

Sic multi nec iniuria. Cetera carmina autem quae saec. XVI e uernaculo sermone in Latinum uertebantur, ut *Stultifera nauis*, *Eulenspiegel*, *Vulpecula Reineke* non proprie iuuentuti destinata erant.

Post longum interuallum (ab a. 1694 ad a. 1696) Franciscus Fenelonius (François de Fénelon) ad erudiendam iuuentutem et docendam, quomodo ciuitates recte gubernandae essent, scripsit *Casus Telemachi* (*Les aventures de Télémaque*), in quibus narrabantur itinera ab Ulixis filio suscepta. Id opus quamquam soluta oratione scriptum erat, Latinos poetas ad aemulationem prouocauit. Qui tamen non Latine docere pueros siue adulescentes uolebant, sed sententias utilissimas per linguam communem et amoenitatem carminis quam latissime propagare. Ac post aliorum conamina totum opus 1743 anonymus quidam s.t. *Fata Telemachi filii Ulyssis* hexametris reddidit. Qui primis uersibus dolorem Calypsus desiderio Ulixis languentem seque immortalem esse dolentem satis impolite describit:

*Flebat adhuc Superum celsa de stirpe Calypso,  
Se male rellicta, discessum insignis Vlyssi:  
Cura haec prima, Deam se, non mortaleque numen [...].*

<sup>1</sup> *Our Mythical Childhood... Classics and Children's Literature Between East & West*, Varsauiae in Vniuersitate d. 23-26.5.2013. In hoc conuentu multae feminae uirique docti e toto orbe terrarum conuocati, quid his temporibus ueterum historiae fabulaeque in puerili aetate educanda ualerent, diligenter enarrauerunt: res sane singularis! Cf. <http://www.kamar.domeczek.pl/OMC%20www/Our%20Mythical%20Childhood.html>. De libellis Latinis in usum iuuentutis factis cf. praesertim admirabilem paginam *Pantoiam* Bernardi Platzdasch, [http://www.pantoia.de/bibliogr\\_intro.html](http://www.pantoia.de/bibliogr_intro.html).

Post alii non pauci temptauerunt. Antecessores omnes autem superauit a. 1808 Stephanus Alexandre-Viel sacerdos et amicus Musarum:

*Flebat Ulyssis iter furtivum abitusque Calypso  
Infelix; nec flere modus. seseque pigebat  
Esse deam, nec posse malis imponere finem.*

Sed saec. XVIII iam minus in Europa celebrabatur usus Latini sermonis. Quare tunc magis enitendum erat grammaticis, ut iuuentutem ad perdiscendam Ciceronis linguam attraherent. Ac nouam uiam ingressus est Philippus Iulius Lieberkühn Brandenburgensis. A. 1719 Daniel Defoe immortalem suum *Robinson Crusoe* ediderat. Quem Russaeus (Rousseau) unum librum pueris legendum asseuerauit assentiente saeculo. Eum igitur Germanae iuuentutis in usum retractauit Ioachimus Henricus Campe (a. 1779) s.t. *Robinson der Jüngere*. Campe autem, cum uideret tales libros fictos pueris esse gratissimos, suasit magistris, ut suum opus translatum etiam in prima Latina institutione adhiberent. Succurrit igitur Lieberkühn, qui sex annis post (a. 1785) *Robinsonem Secundum Tironum causa Latine uersum* publicauit – simplicissimis uerbis, sed puris et pulchris!

p. 4: *Fuit olim Hamburgi vir quidam, cuius nomen erat Robinson! Habuit tres filios, ex quibus natu maximus, qui militiae nomen dedisset, in proelio quodam cum Franco-gallis commisso cecidit. Alter, qui litteris operam dabat, imprudenter aquam frigidam biberat, cum forte vehementer incaluisset; itaque phthisi correptus diem supremum obiit.*

Fuit autem noua res: liber puerilis Latinitate donatus, non ut quam plurimum diuulgaretur, sed ut lingua Latina inde disceretur, et tirones *ad adyta latinae musae* - sic aliquis scripsit – faciliorem aditum haberent.

Quater editus est hic *Robinson*. Secuti sunt alii, qui opus Lieberkühnii etiam linguae elegantia superare studerent, inter quos fuit Franciscus Iosephus Goffaux Francogallus, qui suum *Robinsonem* Parisiis, Londini, Philadephae quoque uendidit.

Proximum autem saeculum huic generi studiorum non aequae fauebat. „Nouus“ ille „humanismus“ q.d. a litteris neolatinis anteactae aetatis potius abhorrebat; Caesaris bella tum pro Erasmo aut Terenti amoribus pueri prima legere cogebantur. Nec tamen destiterunt uiri doctissimi Latine scribere et uertere, sed miro studio suae nationis quisque poetas classicos Latinis Musis reddidit, Germani Goethium et Schillerum, Angli Shakespearium et Miltonium. Quae tamen pueris destinata non erant.

Latinae fabulae pueriles exeunte demum saeculo ab eis auctae sunt, qui, cum Latinae linguae usus etiam in academiis decresceret, eam iterum in statum pristinum linguae uniuersalis, in orbe terrarum communiter peruulgatae restituere conabantur. Quorum factio nunc nomine *Latinitatis uiuae* gloriatur, saepius *Latin vivant* dicitur. Solent autem eius sectatores etiam id poscere, ut lingua non tam e libris grammaticis quam ex consuetudine audiendi et loquendi discatur. Vnum inde nomino summopere meritum Arcadium Avellanum, Hungarum, post Americanum. Is quattuor libris (inde ab a. 1893) uiam *ad disciplinam linguae latinae viva voce tradendam* muniuit et (inde ab a. 1914) multas fabulas romanicas, quae pueris aridere possent, in Latinum transtulit, ut Steuensonii *Insulam Thesaurariam* (i.e. *Treasure Island*). In quo tamen id primum notamus, quod multo magis in plurimis posteris: grammaticae quidem scribit, sed interdum parum Latine. Vt in *Pulchritudine sopita* (*Sleeping Beauty* – quae debuit esse *Formosa puella sopita*):

*Quotquot diæ [fairies] in regno reperiri poterant – fuerunt autem earum septem – in matrinis [godmothers] Regiæ Filiolæ accersebantur, ita ut si quaeque dia munuscula baptismalia, ut eius ævi consuetudo secum ferebat, ei contulisset, cunctis gratiis dotibusque animi ornata esset.*

Non equidem *dias* et *matrinas* in nouo uocabulario necessarias improbo, sed alia quaedam spirant genium non Latii, sed recentium linguarum.

Duo autem uiri eminent inter eos, quos Latinitati uiuae adnumereres. Quorum alter est Eruinus Steindl grammaticus et ludimagister Austriacus, alter Hugo Enricus Paoli iurisprudentiae professor Florentinus. Nam Steindlius Gulielmi Busch *Max et Moritz* (1925, *Max und Moritz*) carmen picturis ornatum in tam urbanos rhythmos Latinos transtulit ut paene auctorem ipsum uicerit:

*Heu puerulos malignos!  
Raro, qui laudentur, dignos  
Inuenimus, at istorum  
Nota pravitas est morum.  
Max et Moritz gemini  
Bono erant nemini.*

Quam scitum est illud homeoteleutum in ultimis *gemini* et *nemini*, modo more mediaeuali *e* in utroque uerbo producat.

Metrice in eadem materia Steindlium aemulatus est Hugo Henricus Paoli, qui a. 1945 *Maximi et Mauriti* male facta hexametris sic reddidit, ut grauitas uersuum leuitatem rerum paene aueret:

*Pravis de pueris quam multa audire necesse est!  
Quid non Maximus hic, quid non Mauritius audet,  
Ambo qui spernunt sapienter uerba monentis  
Omnes ludibrio petulanter habere parati?*

Difficile dictu, Italum an Austriacum poetam praeferendum censeas. Vterque certe dignus, qui nunc quoque a pueris puellisque cum uoluptate legatur.

Sed ipse se uicit Paoli a. 1962 in *Pinoculo Latino* (*Pinocchio*). Initium lepidissimae huius fabulae a consuetudine prooemiandi antiqua longe abest; tamen uertente Hugone Enrico Latinissimum uidetur:

*Fuisse quondam aiunt ... – „Regem“, pueros qui haec legunt statim dicturos suspicor.  
– Erravistis, pueri; non rex fuit illud, sed caesum quoddam lignum nullius pretii, qualia ea sunt quae ex materia in struem congesta hieme in domesticos caminos conicere solemus [...].*

Sed quid ego Steindlios et Paolios uiros obscuriusculos laudo? His omnibus facile palmam interpretum extorsit uir paene *super aethera notus*, certe in omnibus ephemeridibus et periodicis diu celebratus. Dico Alexandrum Lenard qui ex Anglico urso *Winnie the Puuh* mutato a. 1960 fecit *Winie ille Pu* – cuius bestiolae mox centum milia exemplorum diuendita erant, quare etiam in indices librorum optime uenialium subrepsit. Quomodo factum? Miremur necesse est. Neque enim elegantissime scriptus nec semper facillimus lectu est ille *Winnie*, cuius prima uerba sine pictura adiecta uix intellexeris:

*Ecce Eduardus ursus scalis nunc tump-tump-tump occipite gradus pulsante post  
Christophorum Robinum descendens. Est quod sciat unus et solus modus gradibus  
descendendi, nonnumquam autem sentit, etiam alterum modum exstare, dummodo  
pulsationibus desinere et de eo modo meditari possit.*

Sed melius erit adhibere librum Anglicum. Tamen fuerunt qui hoc opusculum iucundius quam omnia Caesaris, Ciceronis, Vergili scripta putarent.

Quid multa? E successu huius *Winnie* plurimi grammatici plus minus docti didicerunt, quantus campus hic etiam mediocribus ingeniis pateret. Inde ab illo tempore, quo Lenard scripsit

fere singulis annis singuli libri edebantur, quibus fabulae pueriles uernaculo aliquo sermone compositae in Latinum translatae erant, non omnes pessime, paucae tamen bene. Quis non audiuit saltem de *Vinnetu Latino*, de *Harrio Potter*, de *Alicia in terra mirabili*. Num haec omnia legantur, ualde dubito, emuntur tamen in usum puerorum a parentibus, auis, amitis, magis, puto, ostentationis causa quam delectationis aut doctrinae. In gymnasia intrare, ut olim Robinson, certe non solent.

Alteram aream aperuit abhic fere XL annos Rubricastellanus (uulgo Karl-Heinz Graf von Rothenburg), cum simili, non aequo successu Asterigem Latine loquentem induxit. *Asterix Gallus* primi uoluminis titulus erat, quem plus quam XX noui Asteriges subsecuti sunt. Non plane immerito! Nam Rubricastellanus cottidiani sermonis Romani admodum peritus est, uir etiam non expers leporis, qui multa e notis classicorum locis et prouerbiis ita admiscet, ut interdum Asterix Latinus etiam magis quam Francogallus risum moueat. Ibi: *maintenant c'est fermé*, hic: *Roma locuta, taberna finita*.

Velles tamen castius linguae puritatem seruaret. Doleo quod ubique absolute dicitur *Revera!* pro *Vraiment!*, quod legimus *an non?* aut *nonne?* pro *n'est-ce pas?* Scilicet defuerunt dudum momi aliqui siue critici qui talia reprehenderent, ut interpres cautior esse cogeret. Sed ex eis qui Latine sciunt quotus quisque Asterigi operam dare dignatur? Doleo.

Quare in eis, quae Asterigem secutae sunt, fabulis nubeculatis – sic enim *comics* appellant – longe lateque barbaries grassatur. Vt nuper (a. 2009) uir doctus, qui se in ipsa Sorbonna Latine docere profitetur, in fabula nomine *Murex et aurum* dicta etiam ueris monstris aditum praebuit ut *patefacietur* et *se lauetur* et *confecto caede* et *noli ad hoc cogitare* – nec ad leuandam istam molestiam quicquam urbanitatis admiscuit.

Taedet ea plurima enumerare, quae hoc more his proximis decenniis composita et edita sint – quamquam meliora quaedam esse ex eis non nego. Iuuat autem duo scriptores proferre, qui cum indignarentur Iuuenalis more – *Semper ego interpres tantum?* – hoc munus interpretandi omnino deseruerunt, ut pueris aliquid nouum, genuinum, uere Latinum exhiberent. Mulierem primam laudare iuuat: Mercedes González-Haba, Hispana origine, Romana ingenio, quae litteras Latinas in uniuersitate Treuirensi (*Trier*) docebat, scientia cottidiani atque adeo uulgaris sermonis nixa fabulam felinam contexuit s.t. *Tacitus cattus* (a. 1997). Cattus, si forte non nostis, est bestiola, quae feles dici solet, est autem, ut ex ipsa terminatione apparet feles masculus (*Kater* siue *tomcat*). Is igitur in hac fabula uitam suam describit. tamquam ea cognitu dignissima sit. Incipit autem sic:

*Quis ego sim, quid mihi uelim, paucis eloquar, si per vos licet. Ego cattus uerus et merus sum. [...] Sunt quos nunc credo inter se dicere; quaeso hercle, quid istuc est? cattum scribere posse, insuper etiam fabulam componere, vel potius ueridicam narrationem! At ego aio id fieri: ego scribere possum. Mecum pignus date, si quis uult: ego, Tacitus, litteras scio.*

Concedo haec non adspirare ad purissimam illam Latinitatem, quam Lieberkühn et Paoli affectauerunt. Sed tamen genium Latinae linguae in hoc sermone felino magis uigere sentis quam in plerisque eis quae interpretes contexuerunt.

Etiam eloquentius autem quam cattus Treuirensis loquitur simius Heidelbergensis. Nam Michael ab Albrecht professor Latinus notissimus, cum suos ipsius liberos sub noctem saepe fabellis excogitatis, ut eos consopiret, oblectauisset, ex his et talibus inuentis concinnauit (a. 1991) iucundissimam fabulam, s.t. *L. Simii Liberatoris Commentarii*. Quorum argumentum hoc est: Lucius ille, qui in Apulei *Metamorphosisibus* asinus factus erat, ex Elysio in hominum terras redit simii formam indutus. Nec tamen illic Latine garrere desinit et, quod mirum est, non paucos inuenit, qui secum loqui uelint. Sed legentium maxima uoluptas ex eo oritur, quod

is simius nostri saeculi mores describit eosque suo modo explicare conatur. Vt cum ei primum e machina teleuisifica ludus pedifollii spectandus offertur, sic ratiocinatur:

*[...] in conclavi multos homines vidi sedentes et cistam quandam, ex qua tremula lux exibat, diligentissime religiosissimeque intuentes. Quam dum accuratius inspicio, in ea pusillum quoddam virorum genus currentium et sphaeram nescio quam sectantium cerno. Hanc ad rem mirifice animus meus conversus est, quippe qui religionum atque omnis generis sacrorum cognoscendorum essem cupidissimus. Ceterum mihi manifestum erat sphaeram illam nihil aliud esse nisi mundi imaginem universi.*

Hinc igitur tantum pedifollii studium in omnibus populis! Docet nos Michael ab Albrecht Latinam linguam hac quidem aetate tum demum esse gratissimam, si lepore et festiuitate aliqua condiatur. Nam id ipsum Latine scribere et loqui, ut uerum fateamur, olim necessitas fuit, nunc lusus est ingenuosque lusoress requirit. Perdit lusum, qui non serio ludit; sed aequè perdit, qui nimis serio. Ludamus!